



LIBER TERTIVS,  
De  
DISSE RENDI SEV DI-  
SPVTANDI RATIONE.

*Fines di-  
sputationis*



*I*ssertatio seu disputatio est artificiosa sententiarum de re aliqua vera stabilienda, vel falsa refutanda, Collatio, ad veritatem explorandam & afferendam.

*F*inis disputationis est *principalis*, vel minus *principalis* seu *subordinatus*.

*P*rincipalis est *vera veri Dei agnitio*, & *agniti cultus seu celebratio*. Istuc enim omnis pia & Christiana dissertatio, veluti ad Cygnosuram dirigi debet, ut Deus honore afficiatur.

*M*inus *principalis* seu *subordinatus*, respicit partim *veritatem ipsam*, partim *mentem*, & *ingenium humanum*, *veris sententijs imbuendum*.

Primo in omni disputatione veritatis semper habenda est ratio, ut ea indagetur, & veluti e tenebris in lucem proferatur. Nam veritas, ut inquit Nazianzenus, Logicis disputationibus trita, in lucem profertur. Et ut lapidum conflictu attrituque ignis: Ita inuentis argumentis explicatisque, verum elicetur, & veluti exprimitur.

Deinde disputationes ingenii vim aciunt, & ad diligentiam & dexteritatem in iudicando excitant atque extimulant; memoriam augent & confirmant, & Sophistarum impetum ac furorem frangunt atque inminuunt.

Quoniam vero disputatio omnis est certarum personarum de re quapiam collatio: Ideo hic partim *res ipse*; partim *personae obseruandæ* veniunt.

*Circares spectatur tum Materia tum Forma.*

*Materia disputationis* varia esse potest, nempe Philosophica, Medica, Iuridica, Theologica. Haec materia non diffusa aliqua oratione, sed substricta quadam breuitate certis thesibus comprehendi debet.

*Theses di-  
sputanda*

Theses eiusmodi disputandæ erunt, 1. *Dubia & controversæ*. Nam de iis, quæ ab omnibus, ut certo vera vel falsa conceduntur, ut *solem lucere*, *ignem vrere*, *feminam parere*,